







1748.

1. Reckenberg, Carolus Otto, Collegii iuri. Oci. Starior :
Programma, quo ad memoriam Bonianni nonnus
... celebrandam invitatur
2. Bauer, Dr. Gorup, fac. iur. pro cancellarius :
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Georgio Henrico Boze . . . indicat.
3. Bauer, Dr. Gorup, fac. iur. pro cancellarius :
Programma, quo summas in utroque jure honores
... Iamini Gottlieb Frölich . . . tribuendos
in d'st.
4. Bauerus, Dr. Gorup: De personis communis
Saxorum manus capaces his
5. Franck, Heinrich Gottlieb: De nexu foederum purp.
Iure unionis inter Augustam domum austriacam
Poloniæque regnum.
6. Franck, Heinrich Gottlieb: "De jure utrarium
imperii de fidelis imperio apertis disponendi"
simulque et orationem auspicialem invitat.



1778

7. Hommel, Ferdinand August, p[ro]f[essor] procuratella -
rias: Programma, quo solennia inauguralia Her-
risi Gottlieb Francke indicat.
8. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De probabilitate due-
mentorum signis
9. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De poena
jurare voluntarium
10. ^{et} Hommelius, Ferdinand. Augustus: De processu
possessoris summarissimis. 2 exempl.
11. Hommelius, Carolus Ferdinandus: De Apolline juris
perito.
12. Kellius, Jakobus Ludovicus: " De sportulio et sumptibus
in iuris judiciorum faciendis et de executoribus
estimatum, ad h[ab]it. lib[er]tatis Cod[ex]. Similique est ore-
lionem auspicialem invitat.



1748

- ca - 13. Mercarius, Gottfridus : , Quæstiones selectæ juris
Herr. naturæ et gentium inter Prohibitionem et Papaverum
en. Controversæ simulque ad orationem antiq' in.
n'itat.
14. Monckton, Georgeus Tudorius : , Commentatio
legis 18 Cap. de Testibus junct. a vobis 90 Cap. 2.
similque ad orationem solennem . . . iur'itat.
15. Mengius, Fridericus, fac. phil. Recens : De
re publica litteraria . . . Programma, quo ad
orationem in memoriam Georgii Ridelii iur'itat.
16. Mylius, Gustavus Merton, fac. jur. Procancell
arius : Programma, quo solennia inaugura
tio Caroli V Monii Packburschies in die L.
17. Mylius, Gustavus Merton : Actuaris pecuniaris
in Ord. Crim. Cas. Art. 149 De inspectione carceri
ris ante expulsam .



1748.

18. Richter, Fr. Tobias: De pacto evictionis non praestandae inutili.
19. Richter, Fr. Tobias: De testimonio mulierum in codicillis jure civili invalido.
20. Richter, Fr. Tobias: Selectiora juris principia.
21. Richter, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
22. Richter, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
23. Richter, Fr. Tobias: Selectiora juris principia
24. Ritter, Johannes Florus: N�dijussoe infirmit
25. Ritter, Johannes Florus: De fine litium ut finiatur.
26. Romani, Franc. Gart; fac. iur. procuratorialius: Programma, quo solemnia magistralia Tusti Ex. Wiens hauer . . . indicat.
27. Sammet, Namus Gasparus: De legatis pueris non



1748.

28. Sammet, Thales, Greifens: Inseritio juris ciuitatis
ad dominium Neptunum ap LXII. pro socio.
29. Siegel, Ioh. Gottlieb: De solo translationem dominii
impedita.
30. Siegel, Ioh. Gottlieb: De divisione feudi successio-
rum tumultuorum investitorum non restringente.
31. Wieschauer, Thos Carolus: De jure majestatis saecu-
larii dirigendorum.
32. Wieschauer, Thos. Car: De jure conventionali
sacrorum dirigendorum.
33. Zoller, Fridericus Gessner: De dispositio pale-
na inter liberos, quae postea obtum patris ab
uno ex filiis profertur, valida.
34. Zoller, Fridericus Gessner: De moderatione in-
culpatarum libelarum adulterio competente







SEN

L

B

LE

d



1748, 10^a
**DE
PROCESSV
POSSESSORIO SVMMARIISSIMO
QVAESTIONES DVODENAE**

305
QVAS
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAESIDE

**DN. D. FERDIN. AVGVSTO
HOMMELIO**
INST. IMP. PROF. PVBL. ORDINAR. ET FACVLTATIS
IVRIDICAE ASSESSORE
SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI

IN AVDITORIO PETRINO

S V B M I T T I T

AD D. XXV. APRIL. CICIO CCXLVIII.

AVCTOR ET RESPONDENS

GOTTLIEB WILHELM MENTZEL

DRESDENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



BRUGGE 32 A
POSSIBUS DAVINCI INGENIO

CLAVE MONTI CODICILLO

PER TITANIA EYDAM GERMANIA

OTTO ALMAYO D
GOTTSCHE

EDITION

ATTA FALCONETTA

PICTORIUM PICTORIUM

GALLERIA PICTORIUM

PICTORIUM PICTORIUM

ERASMO R. 40 X 80059

SERIES QVAESTIONVM
IN HAC DISSERTATIONE
CONTENTARVM

QVAESTIO I.

Distinctio inter possessorum summarium et ordinarium iure Romano fundata aut incognita?

QVAESTIO II.

Quodnam sit obiectum possessorii summarissimi, et quae caussae proprie hoc processus genere tractentur?

QVAESTIO III.

An in summarissimo vitiosa quoque possesso proficia sit?

QVAESTIO IV.

Vtrum si de iustitia petitorii liquido constet, praetermissò possessorio statim in petitorio pronunciari possit?

QVAESTIO V.

An iure communi in possessorio summarissimo annua ad minimum possesso requiratur?

QVAESTIO VI.

Vtrum annus sufficiat civilis an praecise requiratur Saxonicus?

A 2

QVAE-

QVAESTIO VII.

*An tres aetus, qui secundum Ordinationem Pro-
cessus Saxonici recognitam in appendice §. 19.
in possessorio summarissimo requiruntur, ul-
timo praecise anno suscepti esse debeant?*

QVAESTIO VIII.

*An et quatenus in possessorio summarissimo ad-
mittatur appellatio aliud remedium?*

QVAESTIO IX.

*An poena, quae iuxta Tit. XXXIX. §. 3. Ordin.
recogn. etiam in possessorio summarissimo in
casum contraventionis decernitur, quando
comissa, iudici cedat an parti?*

QVAESTIO X.

*Vtrum possesso libertatis naturalis in possessorio
summarissimo praesumatur, an probanda sit?*

QVAESTIO XI.

*In possessorio summarissimo an a possessione anti-
qua recte arguatur ad praesentaneam?*

QVAESTIO XII.

*Quodnam in dubio institutum praesumatur pos-
sessorium, ordinarium an summarium?*

QVAE-



QVAESTIO I.

Distinctio inter possessorum summarium et ordinarium iure Romano fundata aut incognita?



Multo commodius esse et potius possidere quam petere, monet Imperator in §. 4. I. de Interdictis, et proficuum maxime esse possessionis ius atque beatos possidentes, constat inter omnes. Namque

1) operatur possessio praesumptionem, ita
ut v. c. ex possessione praesumatur dominium, aut si
laicus possideat ius patronatus, id laicale esse credatur,
non ecclesiasticum, aut si quis sit in exercitio et pos-
sessione priuilegii antecessori suo concessio, priuilegium
illud in dubio existimetur esse reale, et sic in reliquis.

A 3

2) Ob

2) Ob praesumtionem istam possessio onus probandi re-
iicit in aduersarium. 3) Indeque aduersario non pro-
bante actor in causa obtinet. 4) In causa pari iudi-
candum pro possessore. 5) Si duo habeant causam ab
codem, ille praefertur, qui prius habuit possessionem,
et si alter prior sit in titulo. 6) Possessor pignoris pot-
tior est in iure offerendi. 7) Ex duobus creditoribus
in iure pignoris, caeteris paribus, praefertur is, qui
est in possessione. 8) Quid quod secundum Ordina-
tionem Procesl. Saxoniam recognitam creditor in pi-
gnore rei mobilis, ius plane non consequitur, nisi ex
possessione, et si pignus ipsi sit traditum. 9) Posses-
sor, modo bona fide sit, fructus omnes tam natura-
les quam industriales ex re aliena acquirit et suos
facit. 10) Per possessionem constituitur quis in
conditionem vsucapiend: 11) Qui in possessione
est, in ea manutendus, donec lis super priorita-
te finita. 12) Rerum immobilium possessor non fa-
cile praesumitur fugitiuus. 13) Indeque immobilium
possessores immunes sunt a cautione pro reconuentione
et expensis. 14) Possessio praevia traditione tribuit ius
in re atque dominium, indeque venientem actionem
realem aduersus quemcunque tertium possessorem.
Plura possessionis commoda congesit M E N O C H I V S
Libr. VI. Praefumpt. 69. Ob tot igitur possessionis emo-
lumenta multifaria partim a Romanis ICtis, partim etiam
a Doctoribus modernis inuenta et excogitata fuerunt
reme-

remedia, quibus foecundum illud ius et beatitudinem possessionis quis consequatur, quorum alia dicuntur possessionis adipiscendae, retinendae vel recuperandae, alia prohibitoria, restitutoria vel exhibitoria, alia simplicia vel duplia, alia denique ordinaria vel summaria. Hanc ultimam remediorum possessoriorum distinctionem iure Romano prorsus esse incognitam, et omnes causas possessorias apud Romanos summariter fuisse pertractatas, eo minus habet dubii, quo magis certum est, hodie quoque in causis possessionum processui ordinario non aliter esse locum, quam si agatur de possessione antiquiori, ultima autem et praesentanea possesso, eaque annalis ad minimum, aduersario non denegetur. Legibus Romanis e contrario antiquioris possessionis prorsus nulla ratio fuit habita, sed tantum ultimae eiusque annalis; restitui enim per interdictum in possessionem actor non poterat, si iam tum utilis annus excesserat, vti expresse dicitur in l. 2. C. *Vnde vi.* Iure namque ciuili in possessorio succumbenti nullum nisi petitorium, proprietatis iudicium, indulsum reperitur, et qui in possessorio obtinet, rem seruat, donec alter suam esse plene probauerit, nec remittitur reus ad possessorium ordinarium, argum. l. 2. C. *de Probat.* l. 28. C. *de Rei Vindic.* l. 24. D. *eod.* l. 3. C. *de Interdict.* In quibus textibus vbique non nisi interdicti, tanquam remedii possessorii, et petitorii sit mentio, alterutrumque ex his eligendum prohibetur, nulla prorsus possessionis antiquioris aut distinctione.



stinctionis inter possessorium ordinarium et summarium habita ratione. Remedium igitur possessorium, quo quis possessionem antiquorem, quam ante proximum annum ab instituta actione retro computandum auctor habuit, (quod vnicē hodie processu ordinario pertrahatur, indeque ordinarium dicitur,) praxi forensi potissimum introductum, cui postmodum leges prouinciales et ordinationes iudiciorum processuales adstipulatae sunt, et distinctionem inter possessorium ordinarium et summarium adoptarunt. Nisi forte ex iure Canonico primam possessorii ordinarii, quod in possessione antiquiori fundatur, originem repetendam esse dixeris, et quidem ex Capit. Licet. 9. X. de Probat. ex quo Canonistae non minus quam pragmatici regulam formarunt, quod probata possessione antiquiori, iunior praesumatur vitiosa et iniuriosa. Conf. GONZALEZ TELLEZ ad cit. Capit.

QVAESTIO II.

Quodnam sit obiectum possessorii summarissimi, et quae caussae proprie hoc processus genere tractentur?

Constat possessoria remedia, seu ut ICti Romani loci amant, interdicta, vel retinenda esse, vel recuperanda, vel adipiscenda possessionis. Quae igitur ex his processu ordinario, quae summario tractandae, quaeritur? Adipiscenda processu ordinario, retinen-

POSSESSORIO SUMMARISSIMO. 9

retinendae et recuperandae summario peragi putat
HYBERVS in Praelect. ad Pandect. post Tit. de Salviano
interdict. in Epilogo nec non BEYERVS in Delineat.
Praelect. Tit. de Interdict. E contrario BERGERVS in
Eleff. Process. Possess. §. IV. LVDOVICI in der Einlei-
tung zum Civil-Process. Cap. II. §. 20. 21. PFANKUCH.
de Possessor. summariissimo L. I. Cap. IV. VII. n. 3.
SCHILTER. Exercit. ad Digest. XIII. tb. 42. retinendae
possessionis causas dicunt processus esse summarii, cete-
ras ordinarii. Alii rursus ad possessorium ordinarium
causas recuperandae, retinendae e contrario et adi-
piscendae ad summarium referendas esse perhibent, in
qua opinione quondam etiam fuit D.N. PRAESES in
der Anleitung Gerichts-Acta geschickt zu extrabi-
ren. §. CXXXIX. Nunc vero, rrectius perpensa, potius
dicendum existimamus, hodie aequae ac olim iure Ro-
mano, cuiusuis generis remedia possessoria summariter
tractari, sive adipiscendae sint sive retinendae sive re-
cuperaudae possessionis, et sic inter praxin forensem et
Leges ciuiles vix deprehendi differentiam, si ex recu-
perandae interdictis vnicum exceperis casum, quando
agitur de possessione antiqua, et quae vltra annis spatium
dicitur amissa, quod remedium, sicuti iure Romano in-
cognitum fuit, et vnicce ex iure Canonico, accedente
interpretatione prudentum et fori disputatione, origi-
nem habet, per ea, quae modo circa Quaestionem I.
a nobis dicta sunt, ita etiam in eo pertractando a doctri-

B

na



na iuris Romani, secundum quod omnis causa possessoria summaria est, mores nostri in tantum hodie recesserunt, ut processu peragatur ordinario, contra indolem interdictorum iuris Romani. Reliqua possessoria omnia, sicuti iure ciuili summaria sunt, ita et hodie leuato velo pertractantur. Adipecienda interdicta hodie summaria esse, edocemur exemplo remedii ex L. vlt. C. de Edict. Diu. Hadr. tollendo. item, interdicti Quorum bonorum, quae remedia summaria esse comprobant inter alia praeiudicia apud DN. LEYSER V M Specim. L. Mediatat. ad Pandect. II. et IV. Retinendae possessionis remedia summaria esse in confessio est omnium, et quod in specie Electoratum Saxoniae attinet, euincitur ex clara dispositione Ordinationis Processus recognitae §. 19. Recuperandae denique interdicta, modo aduersarius ultra annum nondum possederit, summario quoque processu agitari, nemo dubitat, et in praxi notissimum est.

QVAESTIO III.

An in summarissimo vitiosa quoque possessio proficia sit?

Vitia possessionis in possessorio summarissimo non attendi existimant BERGERVS in Elec^t. Process. Possess. §. II. et XXII. Oecon. Iur. L. IV. Tit. XXX. §. 5. not. 2. POSTIVS Observat. XLII. no 123 seqq. PFANTKVCH de Possess. summar. L. I. C. VI n u. BORN Difserit. de actione in factum pro retinenda possessione praesentanea.

tanea competente. Cap IV. §. 2. DN. BOEHMER differt.
de vero usu remedii Possessor. ordin. et summarii. Cap. II.
§. 2. WERNHER sel. obseru. forens. P. II. Obseruat.
CCCCXXXIV. STRYCK in Vf. mod. tit. Vti possi-
det. §. 2. DNVS LEYSER specim. DVIII. Medit. V.
THOMAS. in notis ad Tit. Pand. Vti possidet. et pler-
que sere omnes. Ita etiam nouissime pronunciauit Fa-
cult. iur. Lips. Mens. Febr. hui. anni ad quaestionem
Iurisdictionarii Grossmehlensis in causa Ioh. Georgii Lö-
renzii contra vniuersitatem Frauwaldensem: Daraus
so viel zu befinden, daß Klr. bey der libellirten pos-
sess. vel quasi auf seinem Erb-Richter Guthe so wohl
als bey Hochzeiten, Kindtaufen und andern Zusam-
menkünften in dem Gemeinde-Hause Bier zu schen-
cken, in Betracht, daß per deposit. test. 1. et 2. ad art.
20. das factum possessionis praesentaneae sattsam veri-
ficaret, die geklagte turbation hingegen von Gegenthie-
len zugestanden worden, anbey das vorgeschützte pre-
carium nach Beschaffenheit des gegenwärtigen pro-
cessus nicht zu attendiren, so lange bis Bekl. in posses-
sorio ordinario oder petitorio ein anderes ausgeführt,
zu schützen, etc. Sed hoc non obstante, vt a comuni
ni ista opinione recedamus, et vitiosam possessionem ne
quidem in possessorio summarissimo proficere existime-
mus, sequentia nos mouent argumenta. Scilicet fundatur
thesis nostra 1) textibus quam plurimis Iuris Romani
potissimum L. i. §. vlt. D. Vti possidet. ibi: *Quod ait*

Praetor in interdicto, nec vi, nec clam, nec precario, alter ab altero possederis, hoc eo pertinet, ut si quis possidet vi, aut clam, aut precario, si quidem ab alio, proficit ei possessio, si vero ab aduersario suo, non debeat eum propter hoc, quod ab eo possidet, vincere, has enim possessiones non debere proficere palam est. L. I. pr. D. de Itin. actuque priuato. Praetor ait: Quo itinere actuque priuato, quo de agitur, vel via, hoc anno nec vi, nec clam, nec precario ab illo usus es: quo minus ita utaris, vim fieri veto. et §. 2. Hoc interdicto Praetor non inquirit, utrum habuit iure servitutem impositam, an non: sed hoc tantum, an itinere actuque hoc anno usus sit non vi, non clam, non precario L. I. §. 1. D. quod vi aut clam. Hoc interdictum restitutorium est, et per hoc occursum est calliditati eorum, qui vi, aut clam quedam moluntur; iubentur enim ea restituere. denique §. 4. in fin. Inst. de Interdict. Hodie tamen aliter obseruat; nam utriusque interdicti potestas, quantum ad possessionem pertinet, ex aequa-
ta est, ut illi vincat et in re soli, et in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab aduersario litis conte-
statae tempore detinet. 2) Evidenti textu iuris Saxonici in Ordinat. Process. recogn. appendic. §. 19. ubi requiri-
runtur actus quieti; iam vero quieti non sunt per vio-
lentiam exerciti. 3) Ipsa aequitatis naturalis ratione et iuris oeconomia, quomodo enim, quaeso, actus v.
c. violenti, qui delicti species, et sic animaduersione digni sunt, ceterique vitiosi ius aliquod et commodum posse-



possessionis spoliatori et violatori acquirere possunt? Cum nemo ex improbitate sua consequatur actionem, ut expresse dicitur in L. 12. §. 1. D. de furt. Finge praeterito anno Titium precibus a me impetrasse, ut ex humanitate, aperto vecte remissario, (Schlagbaum) aut transmisso ipsi eum in finem clave, permiserim super fundum meum vehiculum ducere; aut praeterito anno noctu vel violenter vicinum aperuisse vectem, et ita currum super aream meam duxisse, an existimamus, inde ius possessionis ita eum nactum esse, ut in hac manutendus sit, donec ego in possessorio ordinario aut peritorio contrarium deduxerim? Dubito sane et vereor, ne alias officia humanitatis nobis fiant dammosa, et ab exercenda amicitia exhibendisque socialitatis officiis, quae tamen juris naturalis fundamentum sunt atque principium, alii deterreantur; quid quod, si actus clandestini et violenti cuiquam prodesse debeant, facile evenire possit, ut quis dolo alterius, citra omnem culpam et negligentiam, possessione sua et inde redundante commodo excidat, quod iura detestantur, cum dolus suus nemini patrocinari debat, et possessio violenta usurpatio potius dicenda, quam possessio, ut recte sentit LVDOVICI in civil. Process. C. II. §. 11. M E V I V S P. III. Decis. 91. B R V N- N E M. Proc. civil. C. I. n. 48. Interim, quae dicta sunt, varias recipiunt limitationes. Primo namque ea continent tantum, cum quis vi, clam et precastio ab aduersario

rio possideat; si quis ita possideat a tertio, vitia ista
vtique non nocebunt, vid. § 4 in fin I. de Interdict. L. 1.
§ fin. D. Vti possidetis. L. fin D. de acquir. vel. amittit pos-
sess. Secundo vitium violentiae, clandestinitatis et
precarii a reo probandum est, qui in eo se fundat, nec
opus est, vt probatio suscipiatur ab actore, partim quia
qui obiicit vitium possessionis, in exceptione se fundat,
cuius probationem in se suscipere tenetur reus, partim
quia probata possessione, pro legalitate eius, et quod ea
insta, non vero vitiosa sit, tam diu praesumendum, do-
nec a reo vitium aliquod demonstretur. Praesumtio
enim liberat a probatione et onus probandi in aduersari-
um reiicit. Non tamen probationem hic desideramus
in continenti liquidam et luce meridiana clariorem, vt
faciunt dissentientes, qui licet vitia possessionis in pos-
sessorio summarissimo obesse negent, tamen si liquido
in continenti ea probentur, attendenda esse uno ore
perhibent, vid. inter alios BORNIVM atque THOMA-
SIVM loc. cit. nec non MENCKENIVM ad Process. disput.
Proem. I. §. 42. Concedunt ergo eo ipso dissentientes,
velint nolint, etiam iniicii, vtique nocua esse possessio-
nis vitia etiam in possessorio summarissimo, modo pro-
bentur. Cur vero probationem manifestam et liquidam
hic requirant, et quare non eadem probationes, quae
alias in hoc processus genere obtinent, i. e. leuiores et
faciliores, etiam quoad hunc passum sufficere debeant,
nulla appetit solida ratio. Sane iciuna est quam red-
dit



dit POSTIVS Obs. 52. n. 165. quod in practica probatu per sit difficile, quem vi, clam aut precario possidere, ac proinde cum de his vitiis disputatur, protrahendi illius iudicij summarii occasio daretur, dum interea pars vtraque, eodem praesentis possessionis praetextu ad arma facile peruenire possit. Iisdem enim articulis, quibus demonstratio et redemonstratio ipsius possessionis suscipitur, demonstratio etiam vitiorum peragi potest. Quare igitur, si vitia possessionis etiam per unum tantum testem probata reperiantur, ea negligantur, et probatio liquida in continenti et luce meridiana clarior, quae alias ab hoc processu longe aliena est, hic desideratur, ego sane non video. Tertio, regula nostra exceptionem patitur in casu, quando instituitur interdictum Vnde vi, seu quando quis ex possessione fundi vel aedium vi deiectus dicitur, tunc enim is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem, licet is ab eo, qui vi deiecit, vi, clam vel precario possederit, uti expresse dicitur in §. 6 de interdicto. quod in odium violentiae priuatae hoc casu specialiter introductum videtur. conf. DN. BOEHMER. nec non VINNIUS ad dict. §. 6. Quartto, dum vitia possessionis attendi debere perhibentur, non ideo desideramus possessionem qualificatam aut titulatam, aut ut bona fide acquisita sit, hanc enim in possessorio summarissimo neutiquam requiri, facile largimur. Est potius in eo inter possessorum ordinarium et summarium posita differentia, quod in hoc possessio
bona



bona fide et iusto titulo acquisita non desideretur, bene autem in illo, uti pronunciauit Facult. Iurid. Wittebergensi Mens. Iun. 1738 ad Reginen Wurzense in causa Fiedler und Cons. contra R. H. von Nossiz. verb. Holglich wenn gleich auf der Klägerer Seiten eine alte Possess vorhanden, solche gleichwohl, welches in possessorio ordinario erfordert wird, nicht titulata sit. etc.

QVAESTIO IV.

Vtrum, si de iustitia petitorii liquido constet, praetermisso possessorio, statim in petitorio pronunciari possit?

Asfirmatiam hic amplectuntur plerique, et praeſidium huius sententiae suae in omni iure reperiſſe videantur. Prouocant enim 1) ad ius ciuile Romanum et L. 8. D. de doli mali et metus exceptione, qua dolo facere dicitur, qui petit quod redditurus est; dolose igitur agenti succurri non debere aiunt, aut dolus actoris adiuuari iudicis sententia, potius doli exceptionem, si liquida ea sit, quemlibet argenteum repellere a limine iudicij 2) ad ius Canonicum et Cap. 6. X. de iudiciis, in quo dicitur, quod iudex non, cuiusmodi actio intendatur subtiliter inquire debeat, sed simpliciter et pure factum ipsum et rei veritatem inuestigare, 3) ad ius Saxonum et Decif. Elect. XIII. in qua doctrina ista expressis verbis approbata; et 4) denique ad ius naturae et ipsa rectae rationis dictamina.

mod

Inepte

Inepte enim dicunt facere iudicem, et contra naturalem acquitatem impingere, qui actori aliquid adiudicat, de quo tamen, quod rei sit, et huic restituvi oporteat, ex actis liquido constet. Verum haec omnia, quamvis in thesi rite se habeant, vereor tamen, ne vnquam in hypothesi casus existat, quo, instituto possessorio, de iustitia petitorii certo constare possit. Scilicet, instituto possessorio eoque summarissimo, reus non auditur cum suis interrogatoriis, neque cum exceptionibus ad petitorium spectantibus, certe nondum paeclusus istis dici potest, quam diu in petitorio litem non est contestatus. Secundum R. I. enim d. a. 1654. nec non Ordin. Procesi. Saxon. Tit. XI. §. 10. exceptiones peremptorias eas demum reus amittit, quas Litiscontestationi non subiunxit; iam vero, instituto possessorio, fraudi esse reo non potest, quod exceptiones ad petitorium pertinentes non opposuerit, probe gnarus, eas in possessorio haudquaquam attendi. Fac igitur in possessorio momentaneo testes deponere de praescripta etiam possessione, reus tamen forte poterit docere exceptionem clandestinitatis, violentiae aut precarii, quam tamen hactenus, instituto tantum possessorio summarissimo, opponere dubitauit, probe memor, quod in praxi et secundum omnium fere Doctorum opinionem nulla harum in momentaneo possessorio habeatur ratio. Ponamus porro actorem instituto possessorio, siue ordinario siue summario, per documenta probasse, rem con-

C

trouer-

trouersam per emtionem aut alio titulo ad transferendum dominium habili a se esse acquisitam, nonne reus per nouiora instrumenta poterit commonstrarre, venditorei non fuisse dominum, aut rem istam ex post facto reemptam a se, vel titulo quocunque alio ad se peruenisse, quod haec tenus in reprobatione sua facere dubitauit, cum intelligerer, haec omnia ad petitorum pertinere, adeoque huius loci non esse, nec in praesenti processu, quo super possessione tantum litigatur, attendi. Quousque igitur exceptionem hanc vel illam reus opponere non erat obligatus, eousque praeclusus quoque dici nequit, sed cum iis adhuc audiendus, quod quam diu factum non est, tam diu quod de iustitia petitorii liquido constet, dici nequit. Accedit, quod in civilibus ultra ea quae petita sunt, iudicis potestas se non extendat, sed sententia debeat esse conformis libello.

L. 1. §. 2. D. Quae sentent. sine appellat. L. 18. D. Commun. divid. L. 30. D. de paci. dotal. GALL. L. 1. obseru. 66. 116. STRYCK. in Vf. modern. Pandect. Tit. de Re iudicat. §. 2. MENCK. Theor. et prax. Pand. Tit. eod. §. 12. CARPZ. Lib. III. Rep. 97. Neque etiam clausulae salutari, si ea forte adiecta sit, tam ingentes adscribendae sunt vires, ut efficere ea possit, quod iudex in alio prorsus processus genere, quam quod fuit institutum, in magnum rei detrimentum, sententiam proferre possit. His omnibus tamen non obstantibus, in contrarium pronunciauit Facultas Iuridica Wittebergensis versus Regimen Wur-

tzense

tzen sie in causa Andreen Fiedlers und Cons. contra Adolph Heinrichen von Nossiz mensl. Ian. 1738. Dass Klägere dasjenige, was Ihnen zu erweisen obgelegen und Sie sich angemahet, wie Recht nicht erwiesen, derowegen Beklagte von angestellter Klage zu entbinden und die beyderseits verursachten Unkosten gegen einander aufzuheben. D. R. W. additis rationibus: Dieweil folglich die Verjährung und antiquissima possessio hinwegfällt, diesem nach die iura petitorii auf Beklagten Seite am Tage liegen, so sind Klägere zwar abgewiesen, jedoch da sie einige alte Possess beygebracht, mit Erstattung derer Unkosten verschonet worden. Interposita tamen ab actore Leuteratione, Facultas Iuridica Lipsiensis reformatoriam tulit sententiam Mensl. Sept. dict. anni. Nunmehr aus denen Aeten so viel zu befinden, dass Kläger dasjenige, so ihm zu erweisen auferlegt und er sich angemahet, wie Recht allerdings erwiesen, derowegen Beklagter von der angestellten Klage nicht zu entbinden, sondern Kläger bey der Possess vel quasi den Beytrag zu dem libellirten Pfarr-Acker Schutt und Pferde Diensten von Beklagten so lange, bis dieser in petitorio ein anders ausgeführt, zu schützen. Rationes decidendi: hingegen der Einwand, dass dieses alles nicht von dem Ritterguthe selbst, sondern in der Meynung, als ob ein Bauerguth zu Lutewitz geschlagen sey, entrichtet, solches jedoch hernach falsch befunden und von Beklagten durch den in actis

sub A. abgelegten Eyd hinlänglich abgelehnet worden, zum petitorio gehört, worinnen iedoch gegenwärtig, da Kläger nur auf possessionem geplagt, keinesweges erkannt werden mögen, sondern zu foderst Kläger bey künftiger ordentlicher Ausführung mit seinem Gegen-Beweise wieder das Vorgeben wegen des vermeinten Bauer-Guths gehört, allhier in possessorio aber lediglich auf das factum possessionis, so Kläger hinlänglich dargethan, gesehen werden muß. So ist re.

QVAESTIO V.

An iure communi in possessorio summarissimo annua ad minimum possessio requiratur?

In possessorio summarissimo nullam proficere possessionem, praeterquam eam, quae annua ad minimum est, iure Saxonico Electorali expresse dispositum in appendice Ordinationis Process. recogn. §. 19. An vero iure communi et in prouinciis, in quibus haec Ordinatio recogn. non viget, idem obtineat, non aequa est expeditum. Negatiuam amplectuntur LVNOVICI in der Einleitung zum civil. Process. C. II. §. 2. vbi sufficere putat, actorum in libello asseruisse: Dass er sich diese Woche, oder dieser Tage in der Possess befundem, M E V. P. III. Decis. 9. WERN HERR. Sel. obs. forens. P. I. obs. 114. et P. VI. obs. 327. n. 1. Wittebergensia et Ienensis collegia eandem amplexa esse sententiam, testatur BERGER in Elect. Process. Possessor. §. XXII.

XXII. nec non in *Oecon. Iur. L. IV. Tit. XXX. §. 5.*
n. 3. Elect. discept. forens. p. 143. Enim vero haec sententia nulla nisi viderur fundamento, et contraria posterioribus suffulcitur rationibus. Non enim tantum ius Saxonicum commune in *Land R. L. II. artic. 44. princ.* nullam nisi annuam possessionem agnoscere videatur. verb. *Welch Man ein Guth hat in seinen Gewehren Jahr und Tag, ohne rechtliche Wieder sprach, der hat daran ein rechte Gewehr.* Sed etiam annus iam iure Romano praesinitus est in *L. 2. C. Vnde vi. et L. 1. pr. §. 2. 3. D. de itin. actuque priu.* Neque etiam textus iuris Canonici, ad quos prouocant dissentientes in *Cap. 19. X. de iure Patron. et Cap. 3. X. de caus. poss. et propr.* contrarium probant, ut ex ipsa inspectione fatis patet. Recentissimi nimirum actus et qui intra proximum annum suscepit, pro turbatis reputandi, qui liti aniam dederunt. actus vero, de quibus lis mota est, non attenduntur. *M E V. P. II. Decis. 188. n. 3. WERNHERR P. I. obseru. n. 4. n. 4. DN. BOEHMER T. II. P. I. Resp. n. 4. n. 6.* Hincque collegia Lipsiensia non tantum olim annuam possessionem desiderarunt, teste *BERGERO loc. cit.* nec non *DN. RIVINO ad Tit. XX. Enunc. u9.* qui et preiudicium ex supremo prouocationum Consilio in hanc sententiam addeit; sed etiamnum requirunt in locis quoque, vbi Ordinatio recognita non viget. Ita enim Facultas iuridica Lipsi. pronunciauit Mens. Febr. 1741. an die

Ober-Amts-Regierung zu Lübben in causa Ioh. Martin Petri contra Sophien Schützin, vti apparet ex adiectis rationibus d. a. u. d. gegenwärtige Sache nach Art des possessorii summarissimi durchgehends tradicta worden, beyde Theile auch darinnen einig, daß über die possessionem momentaneam erkannt werden soll :: hier nächst :: von welcher Zeit an Beklagte, da der Proces im Monath August 1737. iuxta fol. I. Act. primae Inst. seinen Anfang genommen, keine annuam possessionem, vergleichen doch in possessorio summarissimo erfodert wird, in contrarium erlangen können, vielmehr diejenigen actus, welche innerhalb dem Jahre vor angestellter Klage geschehen, pro actibus turbatiuis zu achten, so den gleich darauf angestellten Proces veranlasset, vergleichen jedoch keine Possess geben noch zu attendiren sind etc. Eundem in modum idem pronunciauit ordo Mense Septembr. 1743.

QVAESTIO VI.

Vtrum annus sufficiat civilis, an praecise requiratur Saxonicus?

Quoties in iure quaeritur, vtrum hoc vel illo casu, quo annus desideratur, intelligendus sit civilis, an cum additamento dici Saxonici? vnice respiciendum existimamus ad quaestionem praejudicialem, quo iure annus iste, de quo agitur, introductus sit, ciuili an Saxonico? Priori casu annum sufficeret ciuilem arbitramur,

mur, posteriori annum desiderari credimus cum additamento dici Saxonici. Haec si ad præsens thema applicare velimus, annum ciuilem attendendum esse nulli dubitamus. Evidem videri possit, obseruationem huius anni demum introductam esse per Ordinationem Processus Saxon. recognitam, aut saltim per ius prou. Saxonicum *L. II. artic. 44.* Verum enim vero istam annuam possessionem, quae in possessorio summarissimo desideratur, vti quaestione praeced. V. dedimus probatum, ex iure potius Romano oriundam esse, apparet ex *L. 2. C. Vnde vi. et L. 1. pr §. 2. 3. D. de itin. actu que priu.* Quo posito, dubium non est, quod si quis per annum saltim ciuilem in possessione fuerit, in ea manutendus sit, donec aduersarius in possessorio ordinario vel petitorio aliud euicerit. Evidem obstare videtur citatus modo textus ex iure prouinc. Saxon. *L. II. artic. 44.* in quo requiritur *Jahr und Tag*, quibus verbis annum cum die seu additamento Saxonico indigari, dubium non est. Verum duo sunt, quae hic reponi possunt: **Primum**, quod dubitari adhuc possit, an locus iste de possessorio summarissimo agat, et an non potius de possessione legitima intelligendus sit, qualis non requiritur in iudicio possessorio summarissimo, quippe in quo sufficit possessio naturalis, ut obseruat *COLERVS de Processu executiveo P. I. C. III. n. 108. seqq.* Alterum, quod ius prouinciale Saxonicum non per omnia hodie obseruetur, sed in plerisque ab eo

co recessum sit. In specie in hoc puncto praxis est in contrarium, vt inter alia patet ex sententia Facultatis iuridicae Lipsiensis ad interrogationem Praefecti Voigtsbergensis latae, in causa Gottschald contra Baumann. Mens. Febr. 1738. qua reum in compositione mantendum esse duxit, cum possessionem annuam, quamvis sine additamento diei Saxonici, demonstrasset.

QVAESTIO VII.

Antres actus, qui secundum Ordinationem Processus Saxonici recognitam in appendice §. 19. in possessorio summiſſimo requiruntur, ultimo praecise anno exerciti eſſe debeat?

Quot actus ad acquirendam possessionem necessarii sint, iure communī determinatum non est, quapropter vnicum etiam sufficere recte arbitrantur. In L. enim 1. §. 4. et 22. D. de aqua quotid. et aestiu. illum etiam Praetor in possessione aquaeductus interdicto tueretur, qui vna die vel nocte aquam duxit; et in Cap. 3. X. de cauf. propr. et poss. qui vnicum actum electionis exercuit, in possessione iuris eligendi esse perhibetur. Conf. BERGER Eleſt. Procſſ. possſſ. §. XXIV. XXV. P. FRIDER. MINDANVS de Interdictis Cap. 28. §. 68. LYNCKER 1. Decif. 103. FRANCISC. DE KLAPPER. Decisionam P. II. cauf. 74. qu. 2. n. 2. seqq. Idem regulariter in Saxonia Electorali quoque iuris est, per §. 19. appendicis ad Ordin. Proc. recogn. vbi expreſſe dicitur,



citur, quo in possessione manuteneundus sit, qui vnum vel plures actus possessorios quietos exercuit. Intuitu seruitutum discontinuarum tamen exceptio in dicto §. 19. statuitur, et in his desideratur, vt praeter possessionem annuam etiam tres ad minimum actus doceri queant. Qua occasione quaeritur, vtrum necesse sit, vt omnes tres actus ultimo praecise anno contigerint, an vero satis sit, si vnuus aut omnes etiam superioribus annis suscepiti esse dicantur. Posterius in praxi obseruatur, ita, vt ille etiam in possessorio summariissimo obtineat, cuius testes deposuerunt, quod tribus aut pluribus abhinc annis (von I. 2. 3. Jahren her) seruitute discontinua, actus vel viae v.c. usus sit. Quamuis enim de specialibus actibus non deponant, eo ipso tamen, dum trium diuersorum annorum faciunt mentionem, hos etiam diuersos actus, vnum ad minimum singulis annis se vidisse, per indirectum deponunt, id quod sufficere vulgo existimatur, atque ita etiam pronunciatum meminit D.N. PRAESES a Scabinatu Lipsiensi, Mense Febr. 1734. versus Passendorff in causa Joachim Dornwassers contra vniuersitatem Passendorfensem, in qua cum actor tres diuersos actus demonstrasset, qui tamen diuersis etiam annis contigerant, indeque dubitaretur, an ita satisfactum esset Ordinationi Process. recogn. loc. cit. pro actore tamen respondum et per maiora conclusum, sufficere, quod demonstrati tres actus, nec praecise requiri, vt insuper probetur, ultimo eos contigisse anno.

D

QVAE-

QVAESTIO VIII.

An et quatenus in possessorio summarissimo admittatur appellatio aliudue remedium?

An in possessorio summarissimo victus vt possit re medio appellationis vel alio suspensiō, in eo recepta in Germania iura non conueniunt. Ius Canonicum appellationem admittere videtur, in Cap. 10. et 15. X. de restit. spoliat. item Clementin. vnic. de caus. propriet. et possess. Ius ciuale Romanum e contrario victo in possessorio prouocationem negat, in L. vnic. Cod. Theod. eod. Non obscurae idem quoque SYMMACHVS innuit L. I. Epist. verb. In causis quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet. Quod igitur ius in praxi sequendum sit, non conueniunt Dd. Admittendas esse appellationes et reliqua remedia censem MEVIVS P.I. D. 25. n. 10. DN. RIVINVS ad Tit. XXXV. Enunc. 8. Reuicienda e contrario ea autumat GAIL. L. I. obseru. 7. n. 7.

MYNSING. Cent. VI. obseru. 13. ANDR. RAVCHBAR. P. II. quaeſt. 6. n. 75. HVBER. praelect. ad Instit. tit. de Interdict. n. 9. et ad Digest. tit. Vti possidet. in fin. CVIAC. L. I. obseru. 20. STRVV. Exercit. L. th. 4. DN. BOEHMER. Diff. de vero vſu remed. possess. ordin. et summar. C. III. §. 15. PFANKVCH. L. II. C. 18. §. 23. 24. BERGER. Oec. iur. L. IV. T. XXX. §. 5. n. 15. et Elecf. process. possess. §. XLIV. LVDOVICI process. civil. C. I. §. 7. BARTH. bodeg. forens. Cap. V. §. 13. p. 820. Integra col-

collegia quoque quoad hunc passum inter se discrepant. Dicasteria enim Wittebergensia appellationem reiiciunt, Lipsiensia admittunt, teste GRIEBNERO princip. pro-cess. iudic. L. II. Cap. VII. §. 14. not. a. nec non WERNHERO Comp. iur. L. IV. T. XXX. §. 13. Ita etiam Facultas iurid. Lips. reformatorie pronunciare non dubitauit, interposita Leuteratione contra sententiam in possessorio summarissimo latam in causa A. F. contra A. H. de N. ad requisitionem regiminis Wurtzensis Mens. Septembri 1738. nec non interposita appellatione versus Lübben in causa P. contra S. Mense Februar. 1741. Interim a pristina sua sententia nouissime recessisse videtur laudatus ordo, et accessisse Wittebergenium opinioni. Mense enim proxime practerito Martii ad requisitionem Senatus Stralsundensis in causa Meyerin contra Barnekow und Consorten sequentem in modum respondit: *Daß das von Beklagten wieder das am 29. Augusti des 1747sten Jahres eröffnete Urtheil und ferneres Verfahren ergriffene remedium appellationis vor unzulässlich zu achten. B. R. W.* Additis rationibus: *D. a. u. d. die wegen Zulässlichkeit einer Appellation in possessorio summarissimo sich ereigneten Zweifel eines Theils, in so weit selbige aus denen geistlichen Rechten*

C. 10. X. de restit. spol. hergenommen werden, da einige Dd. letztere nur von dem possessorio ordinario

D 3

Riuin.

Riuin. Enunc. p. 1200.

verstanden haben wollen; andern Theils aber und hauptsächlich Inhalts

I. vn. C. si de mom. poss.

nach Römischen Gesetzen hinwegfallen, und der Disposition der letztern die höchsten Reichs-Gerichte

Mynsing. Cent. 6. obs. 13.

Andr. Rauchbar. p. 2. qu. 6. n. 75.

nachgegangen, auch daß solchen zuwieder dasiger Orten die Meinung der geistlichen Rechte angenommen, nicht beigebracht ist, und der Unterscheid, den einige Rechtslehrer

Berger. Elect. Proc. possessor. §. 43:
 diesfalls quoad effectum suspensum et deuolutium
 beobachtet, nach Verfassung selbigen Orts, wo nach
 Inhalt art. 5. des offt allegirten Erb-Vertrags das
 ius appellandi in Anschung des Ober-Richters quoad
 effectum deuolutium sehr restringiret, in keine fügli-
 che appellation zu stellen, ic: Alii hic distinguunt
 vtrum simul super expensis et damnis pronunciatum;
 item, an vtraque pars remedium interposuerit, an vna
 saltim. Priori casu contra sententiam remedia admit-
 tunt, non aequa posteriori, conf. GRIBN. princ. proc.
 iudic. L. II. Cap. 7. §. 15. Alii rursus inter effectum sus-
 pensum et deuolutium: vid. STRYCK. de action.
 foren. Sect. II. membr. III. §. 9. Alii denique inter in-
 terdicta retinendae et remedia recuperandae vel adipi-
 scendae:

scendae possessionis. LUDOVICI *Vf. pract. distinct.*
iur. tit. de Interdict. distinct. I. In tanta igitur Legum
 Doctorumque contentione, quae opinio sequenda sit,
 nostram si requiras sententiam, diffiteri non possumus,
 opinionem aientium eorumque qui appellationem cete-
 raque remedia in processu possessorii summarissimi ad-
 mittunt, videri praferendam. Fundatur enim ista in
 iure Canonico textibus supra citatis. Iam vero con-
 stat, in processualibus moribus Germaniae id valere
 prae civili Romanorum iure, adeoque non appareat ra-
 tio, quare non hic quoque in materia appellationum et
 possessorii praerogatiuam prae legibus Romanis iuri
 Papali tribuere velimus. Interim iure Saxonico Ele-
 ctorali in Ordin. Process. recognita ad Tit. XXXV. §. I.
 et appendice dictae Ordinationis §. 19. iuris ciuilis do-
 ctrina hac in parte adoptata, ita ut contra sententiam
 in possessorio summarissimo latam, neque appellatio
 neque leuteratio admittatur, idque ne quidem in casu,
 si in sententia suspensa simul super restitutione expen-
 sarum et dannorum fuerit pronunciatum, aut uterque
 litigantium remedium interposuerit. Excipiuntur ta-
 men personae, quibus restitutio in integrum compe-
 tit; iis enim loco huius beneficii leuteratione vel ap-
 pellatione ut conceditur.

QVAESTIO IX.

An poena, quae iuxta Tit. XXXIX. §. 3. Ordin.
recogn. etiam in possessorio summarissimo in
casum contraventionis decernitur, quando
commissa, iudici cedat an parti?

Reus in possessorio summarissimo condemnatus cau-
tionem praestare tenetur de non amplius turban-
do. L. 7. D. de aqua quotid. L. vnic. C. Vti possid. cum
alias sententia facile eludi posse videatur, et de futura
turbatione viator non satis credatur tutus, adeo ut haec
cautio in libello et sententia omissa adhuc in executione
peti, WERNHER. select. obseru. for. P. I. obseru. 290. n. 4.
GAIL. L. I. obseru. u6. imo plane non petira a iudice sup-
pleri possit. arg. L. 12. D. sifseru. vind. CARPZ. L. I. resp. 69.
n. 18 et resp. 70. n. 2 et II. BARTH. Hodeg. forens. C. I. §. 63.
lit. d. p. 297. et C. V. §. 3. not. g. p. 810. cum sit de natura
actionis, et ei tacite insit, taciti vero et expressi regula-
riter eandem esse virtutem constat. Huiusmodi autem
cautio in Saxonia Electorali hodie non frequentatur,
substituta eius in locum certa poena, quae in casum con-
traventionis in sententia exprimitur. Postquam enim in
Ordinat. recogn. ad Tit. XXXIX. §. 3. dispositum, quod,
quoties reus per sententiam facere quid prohibeatur,
aut a facto aliquo vel re quadam abstinere iubeat, et
certa determinari debeat in casum contraventionis poe-
na, applicari etiam id solet ad possessorium summarissi-
mum.

mum. Quando enim reo per sententiam iniungitur, ut ab omni turbatione in posterum desistat, loco cautio-
nis extra Saxoniam decerni solitae, quinque, decem vel
plurium thalerorum poena potius exprimitur, in quam
reus postmodum, si turbare perget, condemnatur, idque
optimo opinor confilio, si quidem cautione ista parum
re vera proficit actor, est enim nude promissoria.
CARPZ. L. I. resp. 69. Iam vero ab inquietatione vltiori
desistere iam iam vi sententiae condemnatoriae tenetur
reus, vt vt per pecuniarem promissionem ad id seorsim se
non obstringat, atque sic in ista promissione nil amplius
quam in sententia ipsa continetur. conf. BARTH. Hodeg.
forens. C. V. § 3. not. g. pag. 810 *in fin.* Quod si igitur post-
haec molestus esse perget, et sic dictata in hunc even-
tum poena sit commissa, atque a turbatore exigatur, cui
cedat ea, iudicii an parti, quaeritur? Videtur iudex eam
sibi vindicare posse, ea enim est natura poenarum pe-
cuniariarum, vt fisco cedant. Scilicet in Constitutione
Friderici Imperatoris II. Feud. 56. mulierum poenarum
que compendia ad regalia referuntur; hodie vero to-
tius fere Germaniae consuetudine, quicquid mulierum
poenarumque nomine colligitur, de fructibus iurisdi-
ctionis esse prohibetur, et magistratibus potissimum al-
tam iurisdictionem exercentibus applicatur. CARPZ. P.
IV. Conf. X. Def. 9. id quod in Saxonia Electorali speciali
lege sancitum in Ordin. prouinc. de a. 1555. Tit. Was zu
Ober „Unter“ oder Erb „Gerichten gehöret. quia
scil.



scil. ius fisci magistratibus hodie competit. conf. BESOLDVS thesaur. pract. voc. Erblyß Guth. BRVNN. ad L. I. C. de bon. vac. MENCK. theor. et prax. Pand. tit. de success. iur. nouiss. §. 37. STRYCK. de success. ab intest. diff. V. C. III. §. I. CARPZ. Pract. crimin. P. III. q. 138 seqq. et P. II. Conf. XIV. Def. 61. In specie in Saxonia arg. L Recht L. I. artic. 28. et L. III. artic. 80. Confitit. Elekt. 38. P. III. Neque tamen etiam contraria sententia suis destituitur rationibus, quae suadete videntur, poenam istam potius adiudicandam esse actori. Namque 1) haec mulcta est ad instar satisfactionis priuatae laeso praestandae, et loco interesse seu reparationis damni per turbationem dati. 2) In specie in processu possessori summariissimi haec poena surrogata est in locum cautionis alias praestandae, cautio autem ista parti praestatur, non iudici. Quemadmodum igitur haec vnicce in securitatem et utilitatem partis aduersae constituitur, nihilque ex ea ad iudicem peruenit, ita etiam poena, quae in illius locum substituta, actori emolumento esse videtur; surrogatum enim sapit naturam eius, in cuius locum succedit, eodemque cum illo iure censetur L. 12. §. 3. D. de usufruct. L. 2. D. de negot. gest. WESEMBECK. I. Conf. 4 n. 77. MEV. P. I. Dec. 17. n. 1. P. V. Dec. 46. n. 3. Dec. 55. n. 7. P. VII. Dec. 2. n. 4. 3) Defumi etiam posse videtur argumentum a simili, scilicet a cautione rati, quae praestatur ab iis, qui sine mandato comparent in iudicio pro coniunctis personis secundum §. 3. ad Tit. VII. Ordin. recogn.

nam



nam et haec parti cedit interesse loco, vt pronuncia-
runt Dn. Scabini Lips. ad Praefecturam Annabergensem
in causa C. Bobock contra C. Hanck und Conf. Mens.
Septembr. 1725. Dieweil C. Frost C. Hanckens, A.
Müllers und Mag. Lademans in termino fol. 89. besche-
henes Einbringen nicht ratihabret, so ist die dieshalber
bestellte caution C. Bobocken, statt seines interesse vor
verfallen zu achten, und sind dannenhero die erstern,
und zwar iedweider von dem dieser es fodern wird, sol-
che 10. Thlr. in solidum zu bezahlen, nicht weniger was
H. G. Schuberthen betrifft, derenthalben sich zu legitimi-
miren, und die ratihabition des von ihnen fol. 89. bis
91. geschehenen Einbringens in künftigen Termine, bey
Verlust der auch dißfalls bestellten caution anzuschaffen
schuldig ic. ic. 4) Quod autem de poenis nummariis,
quae iudici regulariter debentur, dictum fuit, id locum
tantum sibi vindicare videri possit in poenis criminali-
bus, seu quae ob delictum admissum solauuntur, vt ap-
paret ex Ordinat. prouinc. d. a 1555. vtpote quae loco citato
poenas non alias, quam quae ex delicto veniunt, iudici
adsignat. verb. **Geld** » **Buß** oder **Abtrag** so von pein-
lichen Sachen herrühren, ita vt e contrario multas,
quae in causa ciuili committuntur, parti laesae applicari
saepius videas. Exemplum est in poenis, quae ob infi-
cationem debentur, v. c. dupli in deposito miserabili,
L. 1. §. 1. 4. D. depositi, et legatis piis causis relicitis **Nou. 18.**
C. 8. aliisque casibus similibus reuocatis iterum et appro-

E

batis

batis per *Ord. proc. Saxon. recogn. ad Tit. XVI. §. 3.* Itas enim poenas omnes parti deberi non iudici conclamata res est. Idem quoque juris in poena dupli, quae soluenda ob non praefitam cautionem pro legatis in casu §phi 4. ad Tit. XLV. Ordin. recogn. Nam et hanc legatario cedere, si vel maxime etiam non interpellauerit heredem, responderunt Dn. Scab. Lipf. verlus Pultzig. Mens. Septembr. 1725. Quid quod poenas quoque pecuniarias ex delicto debitas parti adiudicari non iudici, iure Romano non infrequens est in delictis priuatis. Hinc distinctio orta inter poenam ciuilem et criminalem haec dicitur, quae iudici soluitur; illa, quae adiudicatur parti laesae; et quamvis delicta fere omnia, etiam quae olim talia non erant, hodie ut publica vindicentur, non tamen priuata, et poenae ciuiles penitus exoleuerunt omnes, sic v. c. actio iniuriarum aestimatoria, quae tendit ad poenam pecuniariam actori applicandam, plerisque in Germaniae prouinciis adhuc vsu seruatur. Pariter actio poenalis ex titulo Dig. de his qui effuder. vel deiec. hodienum datur, et duplum actori adiudicatur, vti pronuntiarunt ICti Tbingenses, referente GRASSIO in *Collat. Iuris Civil. Rom. cum Recess. Imp. Rom. German. Sect. XIII. p. 689.* nec non Dn. Scabini Lipsiensis Mens. Jul. 1735. Dieweil Beklagter daß er den fol. 22.^{b)} seq. ihm zuerkanten und fol. 36. abgesassen Reinigungs-
End zu leisten nicht gemeynet, fol. 37.^{b)} seq. sich er-
kläret, so ist er, wenn zusöderst Kläger den Betrag
des

des ihm durch das libellirte Ausgiesen an dem Mantel und Hut, ingleichen an der Perueque würlich zugezogenen Schadens, vermittelst Eydes angezeiget, demselben solch eydlich erhartetes quantum gedoppelt zu erschen schuldig. Eundem in modum nouissime quoque respondit Fac. Iur. Lips. versus D. in causa G. contra D. Hacc igitur argumenta, quae pro posteriori sententia proferri possunt, vtut satis sint speciosa, verius tamen et iuris oeconomiae conuenientius est, poenas, quae ex praescripto Sphi 3. ad Tit. XXXIX. Ordin. recogn. in specie quoque in processu possessoriū summarissimi decernuntur, iudicem sibi vindicare posse. Regula enim est, poenas omnes in dubio cedere magistratui. Idem in specie quoque obtinet regulariter in causis processualibus atque ciuilibus, e. c. si testis ad dicendum testimonium, pars ad comparationem personalem, tertius ad edenda documenta sub poena quinque vel plurium thalerorum citatur, mulcta ista iudici assignatur; poenas enim eiusmodi natura sua criminales magis, quam ciuiles esse, patit etiam exin, quod secundum Ordin. proc. Saxon. recogn. ad Tit. XXXV. §. 6. qui in aere non habet, corpore luere iubearit, verb. So wohl diejenigen, welche die Geld-Bussen zu erlegen nicht vermögend, statt deren mit Gefängniß oder gewisser Arbeit unnachbleiblich zu belegen. Similiter, si in processu inhibituo, qui in Curiis prouincialibus frequentatur, poena commissa sit, fisco ea applicatur. Et

quamvis nonnullis casibus poenae in causis ciuilibus et processualibus commissae, per modum exceptionis, loco priuatae satisfactionis, parti cedere soleant, regula tamen de poenis magistratui applicandis vniuersaliter et absque limitatione vera videtur in poenis contumaciae, quae praevia prohibitione et comminatione iudicis dicuntur, qualis est praesens de qua quaeritur, atque secundum hanc nostram sententiam nuper modo pronunciauit Facult. Iurid. Lips. ad interrogationem R. S. Hilligerimi, Neostadiensis.

Hat in abgewichenen 1747sten Jahre Cauiceus contra Calliam das possessorium summarissimum angestellt, worinnen erkannt, daß Kläger bey der Possess zu schützen, und Beklagter bey 10. Thlr. Straße aller fernern Turbation sich zu enthalten schuldig, der letztere aber nichts desto weniger sich unterstanden von neuen actus turbatiuos zu unternschmen, weswegen er per sententiam in die Straße derer 10. Thlr. condemnirt worden, und es steht Kläger in den Gedanken, daß ihm diese Strafe gebühre, da hingegen der Richter, vor dem die Sache anhängig, selbige sich zugagnen will, und ihr verlanget dahero, welcher von beyden hierinnen gegrundet sey, Unsere rechtliche Meynung. O. n. w. die Straße, worauf in possessorio summarissimo in casum contraventionis erkannt wird, ein surrogatuu ist von der cautione de non amplius turbando, worauf sonst in diesem Falle gesprochen zu werden pfleget, und daß sic

sie also ebensals wie diese, dem Parth zum Besten geordnet, und nicht dem iudici gehöre, es das Ansehen gewinnen möchte. D. a. u. d. die poenae contumaciae, welche in processualibus, wenn einem vorher sub combinatione ergangenem gerichtlichen Verbothe zu wieder gehandelt wird, verwürcket, dem iudici anheim fallen, und obschon einige Straffen, welche von der gleichen ciuil Sachen herrühren, dem parti zu seiner priuat Satisfaction zugeeignet werden, gleichwohl dieses auf andere casus, da solches nicht specialiter in denen Rechten geordnet oder hergebracht, keines wegnes zu appliciren, vielmehr ordentlicher Weise, und wenn nicht eine besondere Ursache vorhanden, der Regel nachzugehen, nach welcher die Straffen dem iudici zu gehören. So ist die in eurer Frage bemeldte Pön derer 10. Thir. dem Richter allerdings zuständig, da hingegen der Kläger sich deren anzumachen oder dieselben zu verlangen nicht befugt. V. R. W.

QVAESTIO X.

Vtrum possessio libertatis naturalis in possessorio summariissimo praesumatur, an probanda sit?

L libertatem naturalem non probandam esse, sed prae sumi, tralatitium est. Hinc instituta actione negatoria, et reo libertatem naturalem negante, sibique

E 3 ser-

seruitutem afferente, huic probatio iniungitur, illum e contrario a probatione liberat praesumtio libertatis naturalis. An igitur idem quoque iuris, quando, instituto possessorio, actor in possessione libertatis naturalis se fundat, reus vero eandem negat? Haut ita pridem haec quaestio agitata in foro est, vbi sequens casus occurrebat: Actor, intendens possessorium summariissimum, asserebat, se in possessione libertatis naturalis esse, et ab 1. 2. 3. annis minime fuisse passum, ut in fundo suo actum vel similem seruitutem quis exerceret, nihilominus tamen nuper reum pecus suum, item vehiculum super agrum istum ducere aulum fuisse, indeque defendi se petebat in ista possessione, donec reus in possessorio ordinario vel petitorio aliud docuerit, insimul que offerebat rotulum; sed testes de possessione ista libertatis naturalis nihil in eo deponebant; quarebatur ergo, an repellendus sit actor, quod non probasset possessionem suam, an reus condemnandus, quod actor, cum in libertate naturali fundetur, probatione non indigeat? Sed verius fuit visum prius et reus absolutus. Alia namque longe etiam hoc in passu ratio est petitori, alia possessorii, in illo actor se fundat in libertate naturali, atque haec praesumitur, et reus qui eam negat, practendit in vicini praedio seruitutem, haec vero facti est, adeoque probanda, accedit, quod reus, qui in actione negatoria seruitutem afferit, fundamentum actionis, i. e. factum turbatiuum confiteatur, et per modum

cx-



exceptionis servitutem sibi competere aiat, excipiendo autem reus fit actor, indeque probationem intentionis suae suscipere tenetur. Aliter longe se res habet remedio possessorio instituto, in hoc enim fundamentum actionis non in libertate, sed in possessione seu exercitio libertatis ponitur, possessio autem facti, et sic non praesumitur, sed probanda est. Aliud est liberum esse fundum meum, aliud me etiam in possessione seu exercitio illius libertatis esse, illud praesumitur, hoc non aequum, sed facti est. Potest liber esse fundus, et tamen in eo vicinus per aliquot annos iuisse, vel egisse, vel aliud factum exercuisse libertati contrarium. Quod enim de libertate personarum in l. 10. D. de liberali causa, dicitur: *Quod autem diximus in libertate suisse, sic est accipiendum, non ut se liberum doceat is, qui liberali iudicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo suis- se*, id etiam ad seruitutem rerum applicari posse videtur. Qui igitur possessionem etiam libertatis allegat, probare eandem tenetur. Possessio namque omnis facti est, et solo animo retineri quidem potest, acquiri autem nisi corpore et animo simul non potest, vt dicitur in L. 1. §. 3. et L. 8. D. de acquir. vel amitt. poss. L. 12. §. 2. D. de captiu. et postlim. reuers. adeoque vnicus ad minimum actus requiritur, vt apprehensa dici possit possessio etiam libertatis, isque ab afferente possessionem probandus est. Consentit BERGER in Elect. Proc. poss.

§. 10.

§. 10. Dissentit BARTH. in Hodeg. forens. Cap. V. §. 2.
not. a. Sed quomodo quis probabit possessionem libertatis naturalis, cum hoc assertum in negatiua confisstat, haec vero probari nec possit, nec debeat? Verum nec negatiuae probatio per omnia impossibilis est, praeprimis hoc nostro casu probari poterit per id, per quod actor in possessionem et exercitium libertatis peruenit. Sic in exemplo allegato demonstrandum fuisset actori, aduersarium ius viae, actus etc. exercere quidem voluisse, a se autem prohibitum a turbatione vteriori desistisse, ab isto enim tempore in possessionem libertatis naturalis actor constitutus est. Quae cum ita sint, ut actor, qui in libertate naturali se fundat, possessorio iudicio vtatur, sua for esse nolim, rectius potius et magis prudenter acturum eum existimauerim, ut hoc casu, omissio possessorio, mox ad petitorum et actionem negotiorum perueniat. Illo enim instituto, ex rationibus modo allegatis probandum ipsi est, se etiam in exercitio et possessione libertatis esse: in hoc e contrario a probatione libertatis immunis est, et hoc onus propter presumtionem deuoluit in aduersarium. Idem etiam in praxi solet obseruari, et actiones possessoriae, quibus actor in possessione libertatis naturalis se fundat, in fore sunt rarissimae.

QVAE-



QVAESTIO XI.

In possessorio summarissimo an a possessione antiqua recte arguatur ad praesentaneam?

Si quis doceat possessionem antiquam, continuacionem eiusdem praesumti tam diu, quam diu aduersarius contrarium et nouorem possessionem non demonstrauit, vulgo contendunt, ut latius deduxit MENOCH. Praesumpt. 64. L. VI. idque probare annuntiatur ex L. 5. C. de pign. act. et nonnullis ex iure Canonico textibus citatis. Praeterea mutatio et possessionis amissio facti est, et sic ab allegante probanda, atque ita rouissime pronunciauit Facultas iurid. Lipsiens. versus Oberlauterbach, in causa Tunger contra Loschern, ut apparet ex sequentibus rationibus sententiae adiectis: Anbey Test. 3. daß solches vor 38 bis 50. und 58. Jahren geschehen, deponiret, und ob schon dieser von denen nachherigen Zeiten und seit 36. Jahren nichts auszufagen weiß, weil er im Dorfe nicht mehr gewesen, gleichwohl da mutatio facti ist, und Kläger ein anderes nicht bezeugbracht, daß auch solches die folgenden Jahre über geschehen, und die Possess contintiret worden, denen Rechten nach zu prae sumiren, bevorab da Testis 2. daß Beklagter die letzten Jahre vor angestellter Klage mit seinem Heu und Grünmet über Klägers Wiese annoch gefahren ad cit. artic. versichert. Sed haec vera quidem sunt, quando agitur in petitorio de possessione

F



sione praescripta, vt in casu allegato, vbi non necesse est, vt actor prober, se per integros triginta vnum annos, sex septimanas et tres dies continuo in possessione fuisse, sed sufficit testes deposuisse, quod ante illud tempus possederit, tunc enim possessionis praesumuntur continuatio, donec ab aduersa parte probetur interruptio. Altero vero longe se res habet, quando in possessorio summarissimo de praesentanea possessione disceptatur, tunc enim quaeritur, qui in praesenti possideat, et in hoc processus genere obtinet antiquam illud Glosae: *quo in statu te inuenero, in eo te iudicabo et tenebo, donec contrarium video.* Vnde vnicce probandum est actori, etiamnum et pro praesenti se possidere, non possedisse aliquando olim, quod tamen cum aliquo laxamento temporis accipi velim: non enim praecise probandum, quod usque ad ultimum momentum possederit, quo turbatio facta est, id quod in seruitutibus discontinuis propemodum impossibile, sed satis est probasse possessionem nouissimorum annorum. Quod si e contrario de annis remotioribus testes tantum edixerint, probatio ista non iuuat, prout respondit Mensa praeterito Facultas iurid. Lipsiens. cum enim in possessorio summarissimo demonstraret actor, se multis ab hinc annis fuisse in possessione, de sequentibus vero temporibus testes silerent, reum laudatus Ordo condemnare dubitauit, potissimum cum non ipsius sed antecessorum tantum possessio probata, in causa W. L. S. contra.

contra procuratorem Camerae ventilata coram Cancellaria Guelpherbytana. Nunmehr aus denen Acten so viel zu befinden, daß Kläger bey der Possess vel quasi der Jagd-Gerechtigkeit noch zur Zeit nicht zu schüßen, auch die Fürstl. Cammer sich deren zu enthalten noch zur Zeit nicht schuldig, sondern es ist Kläger zuerst die libellirte possessionem momentaneam, Beklagten Gegen-Bescheinigung vorbehältlich, in Ordnungsfrist zu bescheinigen pflichtig. sc. Additis rationibus, Ob wohl aus denen zwischen Z. und Cons. und dem Rittmeister von S. anno 1687. ergangenen Actis, daß Klägers Vorfahren in der libellirten Possess vel quasi der Jagd-Gerechtigkeit sich befunden, wahrzunehmen, derowegen, daß Klägern die Vermuthung, daß er seinerseits solche Possess continuaret, zu statten komme, und mit der Bescheinigung der possessionis momentaneae nicht zu beschweren, es sich ansehen läßet Dennoch aber und dieweil folglich Kläger, da er das possessorium summariissimum angestellet und auf possessionem momentaneam sich fundiret, damit allerdings zu hören, wobei gleichwohl, daß die von seinen Vorfahren erlangte Possess auf ihn deriviret worden, und er gegenwärtig sich darinnen befinde, in factio beruhet, welches nicht zu præsumiret sc. Dissentit BERGER. in Elect. proc. possess. §. XXXII. Per quot vero annos possessio continuata præsumi debeat, cum leges de eo silent, certa regula determinari vix pot-

F 3 est,



est, sed prudentis iudicis arbitrio relinquendum, nisi forte decennium obseruandum esse dixeris, ad quod possessio etiam in summa^{ri}issimo adhuc continuata praesumti posset, eo autem elaps^o, antiquior in hoc processus genere non attendatur, arg. L. 37. §. 1. D. de usurpat. ex quo probare nennulli intendunt, ultra decennium extendi non posse praesumptionem continuatae possessio-
nis. MENOCH. de Praesumpt. L. VI. Praesumpt. 66. n. 4.
ALCIAT. de Praesumpt. BARTOL. in L. vlt. C. de Edict.
Diu. Hadr. toll. BALD. consil. 20. L. V. EVERHARD. in
centur. legal. in argumento de tempore ad tempus, n. 16.

QVAESTIO XII.

*Quodnam in dubio institutum praesumatur pos-
sessorium, ordinarium an summarium?*

Mota super possessione lite, non semper accurate ex libello iudicari potest, possessorium ordinarium sit institutum an summarium. Hoc igitur casu haud dubie recurrentum ad mentem et intentionem a^ctoris, quamvis huic formula libelli non satis accurate videatur respondere, prout censuit Fac. iurid. Lips. Scilicet obueniente casu, quo instituto possessorio summa^{ri}issimo a^ctor in probatione desiceret, hincque repulsum per sententiam ferret, reseruato tamen, ut fieri assolet, possessorio ordinario vel petitorio, postmodum vero eundem libellum, quem in summa^{ri}issimo antea exhibi-

exhibuerat, denuo repeteret, cum declaratione tamen,
 quod possessorum ordinarium velit institutum, reus
 vero opponeret exceptionem rei iudicatae, quia por-
 recto eodem hoc iam antea libello, pronunciatum fue-
 rat, **dass Klägers Suchen nicht Statt hat**, dubitasse
 dictum ordinem actorem a limine iudicij repellere, sed
 potius admisisse libellum, atque subsecuta Litis conte-
 statione negatiua, actori iniunxit probationem, me-
 minit **DN. PRAESES**, quia scilicet se declarauerat actor,
 se intendisse possessorum ordinarium, et libellus etiam
 ab hoc processus genere non penitus erat alienus. Haec
 ita, si de mente atque intentione actoris liquido constat.
Quid vero si dubium sit, quod genus actionis actor in-
situere voluerit? Magis pro possessorio summariissimo
 hoc casu esse praesumendum quam pro ordinario, se-
 quentes euincunt rationes. Namque 1) quae actio sit
 instituta, maximam partem ex intentione actoris aesti-
 mari deber, quae si obscura et dubia, interpretatio
 ita facienda, prout actori maxime utilis, eam enim
 actionem intendisse praesumitur, quae ipsi magis pro-
 ficia est. conf. **SCHOEPFER ad Dig. Tit. de edendo n.**
 4. ibique cit. **BRVNDEM**. nec non **STRYCK in Vf.**
mod. Tit. de Saluian. interdict. §. 1. Iam vero expedit
 ut plurimum possessorum momentaneum instituere,
 per ordinarium namque parum proficit actor, non
 enim per id si vincat, ius certum consequitur aut per-
 petuum sicuti in petitorio, sed temporarium tantum,

manuteneret enim tam diu solum in possessione, quam
diu reus in petitorio aliud non euicerit, eodem tem-
pore tamen et iisdem sumtibus indiget, quibus in pe-
titorio opus, quia aequa ac hoc processu ordinario per-
tractatur. conf. LUDOVICI *civil. Process. Cap. II. §. 25.*

2) Pro eo, ceteris paribus, in dubio praesumendum,
quod frequentissimum est, et sic ut plurimum accidit.
Iam vero possessorium, summariissimum saepissime in
foro conspicitur, rarissime ordinarium, et non men-
tiar, si dicam, centum prius conspici in foro iudicia
possessoria summaria, quam unum ordinarium, quia,
ut dictum, posterius parum prodest, et magnus tamen,
imo easdem quas ipsum peritorium desiderat expensas.

F I N I S.



*** * *** * ***
PRAECLARIS
NOBILISSIMI
DOMINI RESPONDENTIS
CONATIBVS APPLAVDIT
P R A E S E S.

Hilustre maxime in togata non minus quam sagata militia MENTZELIORVM nomen est, quos si non communis stirpis origo, virtutum tamen parilis magnitudo facit coniunctissimos. In hignia p[re]a[er]imis sunt ILLVSTRIS PARENTIS Tui merita, qui Te nunc doctrina ac literis bene politum atque a nostris Musis cum emolumento reducem quide exspectat. Sane confido fore ut talem Te mox experiatur, quem iam Te optat, et quem Te in Academia nostra Professoribus Tuis hactenus exhibuisti,

XXX

buiſti, mihi ſane proximo abhinc anno, per
quod priuatis meis Scholis interfuſti auditor,
abunde ſatis comprobasti ingenium Tuum, et in-
genio iunxiſti industriaſ. Gratulor igitur
Tibi proſectus Tuos et editum hoc eruditio-
nem, dubium ſane non eſt diligentiam Tuam
et laudabiles conatus eos obſecundaturos eſſe,
quorum in arbitrio poſitum virtutem et indu-
ſtriam decentibus condecorare praemiis. Ut
igitur omnia ex voto Tibi cedant animitus vo-
ne. In memoria mea ſempre haerebit audito-
ris industriaſ eruditio, Tu vero vicifim ut mei
quoque recordationem ex animo nunquam dimit-
tas rogo optoque. Dab. in Academia Lipsiensi
XIV. Kal. Maii Anno cIcc XLVIII.



zett.
ter-
ici-
oc-
ro-
Ast
flit,
fen-
is a
fen-
quo

357
und
der
ver-
und
si
heit

13
0
0
0
0
0



ULB Halle
004 195 175

3



f

sl

VDr Pflanz 12





Farbkarte #13

B.I.G.
Black
White
3/Color
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

DE
**ROCESSV
ORIO SVMMARIISSIMO
ESTIONES DVODENAE**
1748, 10^o
305
QVAS
RIS ICTORVM ORDINIS
CONSENS V
PRAESENDE
**FERDIN. AVGVSTO
HOMMELIO**
PROF. PVBL. ORDINAR. ET FACVLATATIS
IVRIDICAE ASSESSORE
ERVDITORVM DISQVISITIONI
AVDITORIO PETRINO
SUBMITTIT
D. XXV. APRIL. CCCCCXLVIII.
AVCTOR ET RESPONDENS
IEB WILHELM MENTZEL
DRESSENS.
LIPSIAE
OFFICINA LANGENHEMIANA.

